


templo, et non me tenu-ístis : et modo flagellátum dúcitis



ad cruci-fi-géndum. Cant. Magní-ficat. e u ó u a e.

Non dicantur Preces, sed finita post Magnificat Antiphona Tanto témpore., dicat qui facit Officium Dóminus vobíscum. et Orémus. cum Oratione Réspice.

Oratio.

RESPICE, quæsumus Dómine, super hanc famíliam tuam : pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium ☩ et crucis subíre torméntum : Qui tecum vivit et regnat in unitáte.

Nulla fiat Memoria.

FERIA QUINTÁ IN CENA DOMINI.

Vesperæ hodie festive cantentur, omissis Prostrationibus.

☩ Ubi intra Missam cantari consueverint, facta Communione, fiat Processio; qua finita, Prior et Ministri ad Presbyterium et Conventus in Chorum eo ordine quo exierunt revertantur.

Dum Vesperæ a Conventu dicuntur, Prior cum Ministris in Presbyterio ad cornu Epistolæ Vesperas suas dicendo sedeat, usquequo inchoanda fuerit Antiphona ad Magnificat. Interim dum Vesperæ cantantur, Acolythy vel Sacrista denudent Altare majus, relicta una sola mappa linea super illud, quæ etiam finita Missa auferatur.

Ultimi Versus Psalmorum et Cantici Magnificat secundum tonorum differentias terminentur, sicut et alii.

Neque post Psalmos, neque post Canticum dicatur Glória Patri.